

Dii tot munera, sine intermissione, diebus ac noctibus fundunt. Illorum beneficia nunc ultro offeruntur, nunc orantibus dantur. Quis est autem tam miser, tam neglectus, quis tam duro fato, et in poenam genitus, ut non tantam deorum munificentiam senserit? Ipsos illos complorantes sortem suam, et querulos circumspice: invenies non ex toto beneficiorum caelestium expertes; neminem esse, ad quem non aliquid ex illo benignissimo fonte manaverit.

CAPUT IV.

DEUS REGIT AC VIDET CUNCTA.

1. Deorum providentia mundus administratur, iidemque consulunt rebus humanis, nec solum universis, verum etiam singulis.

Sit hoc a principio persuasum civibus, dominos esse omnium rerum, ac moderatores deos, eaque, quae gerantur, eorum geri vi, ditone ac numine: eosdemque optime de genere hominum mereri, et, qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religiones, intueri; piorumque et impiorum habere rationem. His enim rebus imbutae mentes, haud sane abhorrebunt ab utili, et a vera sententia. — Utiles esse autem opiniones has, quis neget, quum intelligat, quam multa firmentur jurejurando? quantae saluti sint foederum religiones? quam multos divini supplicii metus a scelere revocarit?

2. Nec lucrari se quisquam putet, si delicti conscium non habebit. Scit enim ille omnia, in cujus conspectu vivimus: nec, si universos homines celare possemus, deum possumus, cui nihil absconditum, nihil potest esse secretum. Quod exhortationibus suis Seneca mirabili sententia terminavit. *Magnum, inquit, nescio quid, majusque, quam cogitari potest,*